

gladium, vivum & acutum super omnem gladium *δίστομον*,
deprehendit, ut adversariorum corda feriret atque de veri-
tate Evangelii non raro convinceret, & penetraret usque ad
*μερισμὸν seu divisionem animae & spiritus, ossium ac me-
dullarum*, Hebr. IV, 12. dummodo convictioni illi divinae
non reluctari, sed patulas potius aures animosque praebere
voluissent, nec visum illis fuisset *πρόσκαιρον ἔχειν ἀμαρτίας
ἀπόλαυσιν*, delectationem vitae hujus & usuram, veritati &
vitae aeternae praeferre. Hebr. XI, 25. Putavit ecclesia DEI
militans exemplum praesidis ac ducis sui imitandum, qui ubi
cum Judaeis juratis veritatis Evangelicae hostibus periculo-
sissimum iniret certamen, noluit rem tantam lapidibus gerere,
sed argumentis ex verbo DEI depromtis atque invictis ag-
gressus, demonstravit characterem verae ecclesiae, esse expo-
situm hostium violentiae convitiis & furoribus, falsae vero,
furoris illius armis pessimam suam causam tueri. Joh. VIII.
58. 59.

§. II.

Optaremus fane, ut aliis characteris emineret eccle-
sia Papalis, quam ut id velut proprium sibi ac domesticum
haberet, quod diximus postremum. Non agam nunc de
armis sanguinolentis, quae expedire adversus recte docen-
tes, jam pridem ausa & assveta est; *Ebriam fane a cruore
innocentium ac fidelium* repraesentatam fuisse novimus divo
JOHANNI Apocalypf. XVII. v. 6. Eo vero periculosior est san-
guinis sitis, quo callidius obteguntur, & pacis, amoris, con-
cordiae aliorumque splendorum nominum specie occul-
tantur spicula, interitum ecclesiae orthodoxae minantia,
eumque per cuniculos atque insidias quaerentia. Satis sit
nobis vel verbo indicare, frustra a leone unguas occultari,
quas alia ex parte eo crudelius prominere sentias; Frustra op-
pido